

Hic ergo, hic etiam de sanguine cretus eodem
 Coraridem accepit matrem genitricis eamdem.
 Aspice ut una tribus magni Rectoribus orbis
 Stat media, & tanto plaudens in honore superbit
 Ipsa avia, ipsa eadem genitrixque, sororque sedentem
 In solio tanto fratrem, gnatumque, nepotemque
 Ante obitum felix, supremaque funera vidit.
 Post decus hoc tantum nihil est, quod coetera cures,
 Sive patres, magnosve duces, seu calcibus aureum
 Qui gestant equites calcar, matresve, nurusve,
 Aut quæ virgineum Superis vovere pudorem;
 Namque has albenti signant existentia velo
 Ornamenta sacri capitis, rutilaque corona.
 Verum age, contentamque aciem defige Tonanti.
 Sic ea: jam sese ad solium converterat omnis
 Heroum turba, & Nymphæ, Geniique volucres,
 Dique, Deæque omnes: solio nam Juppiter alto
 Sceptra gravi torquens dextra, frontemque serenam,
 Et faciles flectens oculos, fundebat ab imo
 Non exauditas procul hinc mihi pectore voces.
 Cum subito pulsis plauferunt Numinæ palmis,
 Coraridumque simul, Pisauriadumque maniplis
 Arrisere hilari testantes gaudia vultu.
 Nam pater Omnipotens (sic me Dea conscia veri
 Ignarum edocuit) tum primum ingentia fata
 Reclusit Superis, & felices Hymenæos,
 Magnorum seriem per saecula longa nepotum
 Qui parerent, qualem nulla altera viderit ætas.
 At Pater omnipotens dextram protendit, & omnem
 Componit motum sistens, rursumque profatur;
 Jamque Deos, jamque Heroas, coetusque propinquos.
 Alloquitur, panditque altæ sententia menti
 Quæ sedeat, cœli qua parte Nepotibus ignes
 Formandis olim repeti velit, & quibus astris